

delicto interrogari debet, antequam actu torqueatur. Ubi sequentia notanda sunt. (1) *In quorum presentia interpellatio fieri debeat?* Scilicet in presentia Judicis, Assessorum, & Judicialis Actuarii, utpote, qui accusatum & captivum interpellare, & diligenter admonere tenentur de veritate dicenda. (2) *Quomodo interpellatio fieri debeat?* Potissimum dupliciter, & quidem (a) *Verbis mitioribus*, quæ contineant suasionem ad spontaneam veritatis confessionem; ita ut blandis verbis accusatus inducatur, ut sibi met ipsi parcat, nec se patiatur tormentis lacerari. Quamvis tamen dolosis persuasionibus & falsis promissionibus reus ad confessionem veritatis induci non debeat; quia dolus conjunctus cum mendacio, & æquivoca promissio de liberando captivo à moribus Judicis debet esse alienus. Quapropter etiam confessio ea ratione elicitæ non potest pro legitima haberi, quia ipsa interrogatio & medium examinandi à Judice adhibitum pro licito non habetur: Petr. Binsfeld. *de Confess. Malefic. memb. 2. concl. 7. dub. 3.* Jul. Clar. *l. 5. qu. 55. num. 7. 8. fol. 696.* Ferdin. Weitzenegger. *Dissert. 6. c. 9. n. 138. p. 35. de Servit.* Dissentit tamen Martin. Delrio *l. 5. sect. 10. p. 744. & seqq. Disqu. Magic.* Et quantumvis aliquid hic liceat simulare; non tamen oportet uti mendacio, & fallacibus persuasionibus. Petr. à Placha. *lib. 1. c. 37. per tot.* (b) *Comminatione*: ut si reus admonitus verbis placidis fateri nolit veritatem, Judex pro ratione, duritie & obstinatō animo incarcerati, verbis asperis eum increpare, eique comminari poterit torturam. Terreri itaque prius debet captivus, quàm tormentis subjiciatur. (3) *Ratio hujus constitutionis.* (1) quia ad torturam devenire non oportet, si aliunde veritas, haberi possit. Itaque leviora media præferenda sunt gravioribus, quibus annumeratur tortura. Et huc accommodari potest, quod dicit Javolenus *in L. 200. ff. de R. J.* Quoties nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habet iniquitatis: quamvis regula loqui videatur de alio casu. (2) Tortura est gradatim inferenda; inde nonnulli, qui minas ad primum torturæ gradum referunt, non malè docent, prius à minis de torquendo Judicem debere facere initium, quàm ad torturam ipsam deveniat. Jul. Clarus, *l. 5. Sent. §. final. Quest. 64. n. 31. fol. 750.*

II. *Annotatio eorum, quæ inquisitus fatetur, vel non?* Actuarius in actis diligenter consignabit, an captivus delictum confessus fuerit, vel illud adhuc negaverit, deinde, quid ipsi propriè de crimine isto cognitum fuerit, aut quid non, & quæ aliæ istius delicti fuerint circumstantiæ.